

Litterae Apostolicae
Sanctissimi Domini Nostri
PII divina providentia Papae X

Archiepiscopus Delegatus Apostolicos Byzantii, in Graecia, in Aegypto, in Mesopotamia, in Persia, in Siria et in Indiis Orientalibus consistentes.

PIUS PP. X.

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ex quo, nono labente seculo, Orientis gentes ab unitate Ecclesiae catholicae coeperunt avelli, vix dici potest quantum a viris sanctis adlaboratum sit, ut dissidentes fratres ad eius gremium revocarentur. Prae ceteris vero Summi Pontifices, Decessores Nostri, pro eo quo fungebantur munere, fidem et unitate ecclesiasticam tuendi, nil intentatum reliquerunt, ut qua paternis adhortationibus, qua publicis legationibus, qua solemnibus conciliis, funestissimum dissidium tolleretur, quod Occidenti quidem in moerorem cessit, Orienti vero grave intulit damnum. Huius sollicitudinis teste sunt, ut paucos tantum recenseamus, Gregorius IX, Innocentius IV, Clemens IV, Gregorius X, Eugenius IV, Gregorius XIII, et Benedictus XIV.¹ Sed neminem latet, quanto animi sui studio nuperrimo tempore Decessor Noster felicis recordationis Leo XIII, Orientis gentes invitaverit, ut Ecclesiae Romanae iterum consociarentur. “*Nos quidem certe (inquit)², pervetusta Orientis gloria, et in omine genus hominum fama meritorum ipsa recordatione delectat. Ibi enim salutis humani generis incunabula, et christiana sapientiae primordia; illinc omnium beneficiorum, quae una cum sacro Evangelio accepimus, velut abundantissimus amnis in Occidentem influxit...Atque haec Nobiscum in animo considerantes, nihil tam cupimus atque optamus, quam dare operam, ut Orientetoto maiorum virtus et magnitudo reviviscat. Eoque magis, quod illic humanorum eventuum is volvitur cursus, ut indicia identidem appareant, quem spem portendant, Orientis populo, ab Ecclesiae Romanae sinu tam diuturno tempore dissociatos, cum eadem aliquando in gratiam, aspirante Deo, redituros.*”.

Nec minori sane desiderio Nos ipsi, Ven. Fratres, quod probe nostis, tenemur, ut cito dies illucescat, tot anxii sanctorum virorum votis exoptatus, quo penitus a fundamentis subvertatur murus ille, qui duos iamdiu dividit populos, atque his uno fidei et caritatis amplexu permixtis, pax invocata tandem aliquando reflorat, fiatque *unum ovile et unus pastor*.³

Nobis tamen haec animo revolventibus, gravis moeroris occasionem nuperrime praebuit scriptum aliquod, in recens condito diario “*Roma e l'Oriente*” evulgatum, cui titulus “*Pensées sur la question de l'union des Eglises*”. Enimvero tot iisque tam gravibus erroribus, non modo theologicis, verum etiam historicis, scriptum illud scatet, ut vix possit maior cumulus paucioribus paginis contineri.

Nimirum ibi non minus temere quam falso huic opinioni fit aditus, dogma de processione Spiritus Sancti a Filio haudquaquam ex ipsis Evangelii, verbis profluere, aut antiquorum Patrum fide comprobari; – pariter imprudentissime in dubium revocatur, utrum sacra de Purgatorio ac de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione dogmata a sanctis viris priorum saeculorum agnita fuerit; – cum vero de Ecclesiae constitutione incidit sermo, primo renovatur error a Decessore Nostro Innocentio X⁴ iamdiu damnatus, quo suadetur S. Paulum haberi tamquam fratrem omnino parem S. Petro; – deinde non minori falsitate iniicitur persuasio, Ecclesiam catholicam non fuisse primis saeculis principatus unius, hoc est *monarchiam*; aut primatum Ecclesiae Romanae nullis validis argumentis inniti. – Sed nec ibidem intacta relinquitur catholica doctrina se Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, cum praefracte docetur, sentetiam suscipi posse, quae tenet, apud Graecos verba consecratoria effectum non sortiri, nisi iam prolata oratione illa quam epiclesim vocant, cum tamen compertum sit Ecclesiae minime innovandi; – cui haud minus absonum est, validam habendam esse Confirmationem a quovis presbytero collatam.⁵

Vel ex hoc errorum summario, quibus refertum est illud scriptum, facile intelligitis, Venerabiles Fratres, gravissimum offendiculum omnibus ipsum perlegendibus allatum fuisse, et Nos ipsos magnopere obstupuisse, catholicam doctrinam, non obtectis verbis adeo procaciter perverti, pluraque ad historiam

1 Const. “*Nuper ad Nos*”, 16 Mart. 1743, aliam fidei professionem Orientalibus praescribit.

2 Allocutio “*Si fuit in re*”, 13 Dec. 1880. Ad S.R.E. Card., in Aed Vat; *Act.*, vol. II p. 179. Cf. etiam Ep. Ap. “*Preclara Gratulationis*”, 20 Jun. 1894.; *Act.* vol. XIV, p. 195.

3 Ioan. x, 16

4 Decret. gen. Congr. S.R. et U. Inquis., 24 Ian. 1647

5 Cf. Bened. XIV. Constitut. “*Etsi pastoralis*”, pro Italo-graecis, 26 Maii 1742, ubi dicit irritam nunc fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola episcopi delegatione collatam.

spectantia, de causis orientalis schismatis a vero audacter nimis detorqueri. Ac primum quidem falso in crimen vocantur sanctissimi Pontifices Nicolaus I et Leo IX, quasi magna dissensionis pars illius debeatur superbiae et ambitioni, huius vero acribus obiurgationibus; perinde ac si prioris vigor apostolicus in sacrosanctis iuribus tuendis superbiae sit tribuendus; alterius autem sedulitas in coercendis improbis vocari velit crudelitas. Historiae quoque iura conculcatur, cum sacrae illae expeditiones, quas cruciatus vocant, tamquam latrocinia traducuntur; aut cum, quod etiam gravius est, Romani Pontifices incusantur, quasi studium, quo conati sunt Orientis gentes ad coniunctionem cum Ecclesia Romana vocare, dominandi cupiditati sit adscribendum, non apostolicae sollicitudini pascendi Christi gregis.

Nec stuporem addidit levem, quod in eodem scripto adseritur, Graecos Florentiae a Latinis coactos fuisse, ut unitati subscriberent, aut eosdem argumentis falsis inductos, ut dogma de processione Spiritus Sancti etiam a Filio susciperent. Quin etiam eo usque proceditur, ut historiae iuribus conculcatis in dubium revocetur, utrum Generalia Concilia, quae post Graecorum discessionem celebrata sunt, hoc est ab octavo ad Vaticanum, tamquam oecumenica vere sint habenda; unde hybridae cuiusdam unitatis ratio proponitur, id solum ab utraque ecclesia deinceps agnoscendum tamquam legitimum, quod commune patrimonium fuerit ante discessionem, ceteris tamquam supervacaneis et forte spuriiis additamentis alto siletio pressis.

Haec vobis, Venerabile Fratres, significanda duximus, non solum ut sciatis memoratas propositiones atque sententias falsas, temerarias, a fide catholica alienas a Nobis reprobari, sed etiam ut, quantum in vobis est, a populis vigilantiae vestrae commissis tam diram luem propulsare conemini, omnes adhortando, ut in accepta doctrina permaneant, neve alteri unquam consentiant, licet...*angelus de caelo evangelizet*.⁶ Simul tamen enixe oramus, ut eos persuasos faciatis, nihil Nobis antiquius ess, quam ut omnes bonae voluntatis homines vires indefesse exerant, quo concupita unitas citius obtineatur, ut in una fidei catholicae professione, sub uno pastore summo adunentur, quas discordia dispersas retinet oves. Quod facilius quidem continget, si ad Spiritum Sanctum Paraclitum, qui "*non est dissensionis Deus, sed pacis*"⁷, fervidae ingeminentur preces: inde enim fiet ut Christi votum impleatur, quod ante subeundos extremos cruciatus cum gemitibus expressit: "*Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint*"⁸.

Denique hoc omnes in animum inducant suum, incassum omnino in hoc opere adlaborari, nisi imprimis recta et integra fides catholica retineatur, qualis in Sacra Scriptura, Patrum traditione, Ecclesiae consensu, Conciliis Generalibus, ac Summorum Pontificum decretis est tradita et consecrata. Pergant igitur quotquot contendunt causam tueri unitatis; pergant fidei galea induti, anchoram spei tenentes, caritatis igne succensi, sedulam in hoc divinissimo negotio navare operam; et pacis auctor atque amator Deus, cuius in potestate posita sunt tempora et momenta⁹, diem accelerabit quo Orientis gentes ad catholicam unitatem exsultantes sint rediturae, atque huic Apostolicae Sedi coniunctae, depulsis erroribus, salutis aeternae portum ingressurae.

Has Nostra litteras, Venerabiles Fratres, in linguam vernaculam regionis unicuique vestrum concreditaе diligenter translatae evulgare curabitis. Dum porro vos certiores facere gaudemus, dilectum Auctorem scripti inconsiderate, sed bona fide ab isso elucubratu, sincere et ex corde coram Nobis adhaesisse doctrinis in hac epistola expositis, et cuncta quae Sancta Sedes Apostolica docet, reiicit et condemnat, et ipsum, Deo adiuvante, usque ad ultimum vitae finem docere, reiicere et condemnare esse paratum, divinorum auspiciem munerum, Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem Vobis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVI mensis Decembris, anno MCMX, Pontificatus Nostri octavo.

PIVS PP. X

6 Gal., I, 8.

7 I. Cor., XIV, 33.

8 Ioan., XVII, 21.

9 Act. I, 7.